



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio X. Quid sit relatio prædicamentalis, & quæ eius definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. X. Quid sit relatio prædidam. &c. 829

QVÆSTIO X.

Quid sit relatio prædicamentalis, & quæ eius definitio.

ARISTOTELES sic definit relationem prædicamentalem ad aliquid: sunt quorum esse est ad aliud se habere, id est, est quædam entitas, cuius totum esse est ad aliud respiciendum, v. g. paternitas nullum aliud esse habet, nisi referre generantem ad genitum, ad cuius intelligentiam plenior, nonnulla sunt observanda, primum in hoc capite semper numero plurali appellasse, ac definisse, ea quæ sunt ad aliquid, vel quia numero plurali, pro singulari usus est, ut putat Scotus, vel ad denotandum, ut verisimilius videtur naturam relativorum, quæ semper sunt binarium ad alterum, ut explicant Albertus, & Amonius, quia relatio semper inter duo extrema versatur.

Secundum in concreto definisse ad aliquid, non quidem eo quod concretum solum per se prædicamentum constituitur; sed, vel quia sic, & non in abstracto prædicantur accidentia de substantia, vel quia nobis notiora sunt concreta, vel denique, quia vt bene notat Scotus in præfati quest. 25. ad 2. argumentum, cum relatio inter omnia entia sit debilissimum est minimæ inter se cognoscibilitatis, clarius enim cognoscitur, quatenus informat sua essentia à fundamento, & termino dependet, ita & in sua cognitione, ex tali autem definitione in concreto recte abstracti definitio colligitur hoc modo, relatio est id, quo aliquid, id ipsum quod est ad aliud se habet; vel clarius id quo aliquid formaliter refertur ad aliud, ut æqualitas, & similitudo. Tertium sciendum est ex eodem Aristotele 5. met. tex. 20. res dici posse ad aliquid quatuor modis, iuxta primum dicuntur per se ad aliquid, quia in conceptu illorum includitur relatio, huiusmodi sunt concreta relativa, ut duplum, simile, æquale iuxta secundum modum dicuntur ad aliquid, quia genera eorum sunt ad aliquid.

Est quidem ad aliquid, ut Divus Thomas, Averroes, & Amonius advertunt non per se, & vt tali nomine significatur; sed quoniam genus eius quod est scientia est ad aliud, scilicet ad scibile. Tertio modo relationes ipsæ, & abstracta nomina dicuntur ad aliquid, quia concreta sunt ad aliquid, id est, quia sunt rationes formales quibus pulchrum definitionis ædificium relationis veluti fortissimis innixum fundamentis, sic consurgit, relatio est modus realis accidentaliter adveniens immediato fundamento vt ipsum ad terminum actualem refertur, ponitur modus vt excludantur divinæ relationes, quæ non sunt accidentia modalia; sed substantiæ; ponitur actualis, vt excludantur relationes rationis, &c. interponitur accidentaliter adveniens rei, vt excludantur om-

R. P. R. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

nes relationes transcendentales, primo, quia non adveniunt accidentaliter rebus quorum sunt.

Secundo, quia nulla transcendentalis habet proprie fundamentum, cum sit de essentia rei quam constituit, fundamentum enim distinguitur à re quæ fundatur in ipso.

Tertio, quia licet aliqua relatio transcendentalis petat actualem terminum, non tamen omnis, nec relatio transcendentalis vt sic, quatenus comprehendit omnem relationem transcendentalem; è contra vero omnis relatio prædicamentalis petit necessario utrumque actualem, actuque existentem; item ponuntur particule illæ fundamento, & vt referat, vt distinguatur ab absolutis accidentibus, quæ nec habent proprie fundamentum; sed subiectum, nec referunt ad terminum.

Relatio autem prædicamentalis, vt sic licet afficiat proprium subiectum, non tamen sistit in illo; sed ipsum ordinat ad terminum, & in hoc posita tota ratio formalis relationis, itaque licet similitudo v. g. secundum totam rationem suam, etiam relativam concipienda sit vt forma afficiens rem quam denominat similem, tamen tota illius affectio in hoc posita est vt illam ordinet, seu referat ad aliam, & in hoc sensu communiter dicitur totum esse relationis esse ad aliud.

His iam satis determinatis, discrimina, quæ reperiuntur inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem omnium Doctorum vestigijs insistent, vt meliusque utriusque relationis natura clucescat, opere pretium duxi in lucem edere publicumque referre.

Primum discrimen, quod ab aliquibus solet assignari est, quod relatio prædicamentalis petat distinctionem realem à termino, relatio autem transcendentalis non petat, nisi distinctionem rationis, & ideo asserunt dari relationem transcendentalem, inter scientiam divinam, & divinam essentiam, & inter divinum amorem, & divinam bonitatem.

Sed contra, quia hoc falsissimum est, vt communis fert Theologorum sententia, quia utraque relatio petit distinctionem realem à termino, cum omnis relatio sit respectus, & omnis respectus sit in ordine ad aliud; unde si aliud est terminus relationis debet necessario distingui realiter à relatione, quia id quod ab aliquo aliud est distinctum est ab illo: ergo si relatio respectu termini est ad aliud, terminus erit distinctus à relatione realiter, quod patet in divinis, nam pater æternus est alius à filio, quia distinctus realiter ab illo, & non est aliud, quia sunt idem in essentia.

Confirmatur, quia relatio paternitatis in divinis cum substantialiter constituat primam personam, & idem est de filiatione, est relatio non prædicamentalis; sed transcendentalis, & nihilominus distinguitur realiter à filio, qui est terminus talis relationis: ergo omnis relatio etiam transcendentalis petit distinctionem realem à termino, quæ sententia adeo expressa est Divi Thomæ, vt 1. p. quest. 41. solum propter hanc rationem negat æqualitatem inter personas divinas esse relationem realem, nam ipse negat ad se ipsum referri relatione reali.

LIII 2 quod

quod non solum ut principium in metaphysica, sed etiam in Theologia receptum est, nam totum mysterium distinctionis realis inter divinas personas fundatur in relationibus realibus, quibus personæ inter se referuntur, iuxta illud axioma, omnia sunt unum in Divinis, ubi non obuiat relationis oppositio. Hæc omnia sic demonstrantur, nam relativa sunt realiter opposita, quatuor enim reales oppositiones numerantur à Philosopho, contraria nimirum, privativa, contradictoria, & relativa, sed idem non potest sibi ipsi opponi realiter, quia cum summa unitate, quam petit identitas non potest dari summa diversitas realiter, quæ est oppositio: atqui hæc oppositio relativa exercetur inter relationem, & terminum: ergo relatio, & terminus distinguuntur realiter.

10 Illa autem exempla adducta ab adversariis falsissima sunt, ut bene advertit Pater Suarez secundo tomo metaph. disputat. 57. sectio. 3. numero quarto, nam scientia, vel amor Dei non dicunt respectum realem transcendentem ad ipsum Deum, sed potius talis scientia, & amor sunt absolutissima ab omni respectu reali, quia per se primo non respiciunt aliquod obiectum extra se; unde sicut ibi non distinguuntur actus, & obiectum nisi ratione, ita nullus intervenit respectus actus ad obiectum, nisi rationis, & ratio uniuersalis est, quia cum respectus, & habitudo realis sit tendentia quædam ad alterum ut diximus, in quo distinguitur ab absoluto, non potest intervenire verus, & realis respectus eiusdem ad se ipsum; nulla in re interveniente distinctione, saltem ex natura rei, & ideo inter genus, & differentiam non datur respectus transcendentalis actus, & potentia, quia genus, & differentia non distinguuntur à parte rei: unde firmum, ratumque debet inter omnes relationes tam prædicamentalem quam transcendentalem esse terminum reperiri distinctionem realem, & veram.

11 Primum, esto discrimen inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, quod respectus prædicamentalis talis sit ut à natura non sit per se intentum, & ideo nunquam fiat primario, sed resulter, & consequatur posito fundamento, & termino teste Aristotele 1. Physic. cui in hoc omnes consentiunt, at vero respectus transcendentalis per se maxime intentus à natura est, & ideo forma essentialiter includens talem respectum sæpe fit per se formaliter, ac per se primo, ut per actionem videndi fit actus visionis includens transcendentalem ordinem ad obiectum, & unio per actionem unitivam, & ratio huius discriminis, quia relatio prædicamentalis non est in rerum natura instituta, ad aliquod peculiare munus obeundum, sed ad hoc solum res alias comitari dicitur, ut præcise aliqua res se respiciant ex vi alicuius rationis, seu fundamenti realis, quod in ipsis supponitur, & ideo talis relatio, nihil aliud est quam respectus consurgens posito fundamento, & termino; nunquam autem per se fit, respectus autem transcendentalis, ut asserit eximius Doctor Suar.

conuenit alicui formæ vel entitati, aut modo entis, quatenus à natura per se est institutus, & ordinatus ad aliquod peculiare munus, quod potest per se fieri per relationem, ut inclusus in forma dicente talem respectum, cum enim talis forma in proprio conceptu essentiali illius talem respectum includat, non potest ille respectus minus esse per se intentus, aut minus per se fieri quam ipsa forma, cum actio, & intentio agentis per se tendat ad rotam formam producendam usque ad specificam rationem eius, & ex hoc sequitur quod relatio prædicamentalis, sicut nunquam per se sit, nunquam per se agat.

Ex hac prima, alia secunda notanda differentia confurgit inter relationem prædicamentalem, & modos dicentes relationem transcendentalem, ut unio, actio, & passio &c. nam licet habeat aliquam similitudinem, & proportionem, habitudinem inquam, hæc formæ dicuntur includere, tamen relationes prædicamentales consistunt in puro respectu, quia munus earum in hoc solum consistit, ut sint puræ rationes referendi subiectum ad terminum; alijvero modi habent proprium aliquod esse per quod exercent munus aliquod, ad quod natura sua ordinantur, quod non solum sit referre, seu ordinare ad aliud v. g. motus, actio, ubi non possunt dici puri respectus, nam habitudo motus ad terminum est habitudo viæ, per quam ipse terminus in suo constituitur, unde non dicitur habitudinem ad terminum, ut pure terminum, atque eadem proportio datur in actione, & passione.

Major difficultas in unione hypostatice datur, nam talis unio dicitur à Theologis attingere Verbum ut pure terminum, sed si arctius concipiatur hoc facillime soluitur; nam ut bene ait Pater Suarez, unio hypostatice dicitur à Theologis attingere Verbum Diuinum ut purum terminum, ut per illam particulam purum excludant omnem causalitatem propriam quantum circa Verbum videretur habere tanquam ipsum Verbum, ut sic habet circa talem unionem, non est tamen Verbum pure terminus illius unionis in eo sensu, in quo hic dicitur de termino relationis prædicamentalis, quia illa unio ut est realis modus humanæ naturæ, non utrunque respicit Verbum, sed realiter illi coniungit humanam naturam, & realiter attingit Verbum ipsum, tanquam alterum extremum illius unionis, à quo intimo, & realiter pendet, quamuis sine propria causalitate; sic igitur uniuersaliter conuenit modis relatis transcendentibus aliquod reale munus exercere vel uniendo, vel causando, vel constituendo, vel percipiendo, aut cognoscendo obiectum, vel aliquid aliud simile efficiendo, ut videre est in inherencia accidentis, quæ non solum ordinat, & refert accidens in quo est sistendo in hac ratione, sed vniat illud subiecto, & uniendo refert ubi locat, redditque præsens corpus, actio producit terminum, & ideo talia entia quæ transcendentalem respectum includunt, sunt ita ad aliud, ut totum suum esse non habeant ad terminum, ut pene terminum gerendo se circa illum sub mera ratione respectus, sed sub ali-

Quæst. X. Quid sit relatio Prædicam. 831

qua alia ratione, ut diximus exercendo circa illud aliquod munus ad quod huiusmodi entitates ex natura sua ordinantur; at vero relatio ut supra satis late explicatum manet, habet totam suam essentiam in puro respectu sitam circa terminum, nihil aliud exercendo in subiecto nisi ordinare illud ad extrinsecum, quod clarissime expressit Divus Thomas p. 1. quæst. ... art. 1. ubi sic ait, ea quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectus ad aliud, quid clarius?

14 Verget Hurtado, quia sicut cognitio respicit obiectum illud representando, ita similitudo illum physice assimilando: ergo similitudo illum non respicit, ut pure terminum magis, quam cognitio: patet consequentia, quia cognitio est assimilatio intentionalis obiecti, similitudo autem est assimilatio physica, quæ minus habet de respectu termini ut termini, quam intentionalis.

15 Sed hæc aut in pura æquocatione, aut in non recta intelligentia consistunt, ac proinde facillime solvuntur.

16 Nam duplex est similitudo, alia est quæ dicitur imago, & hæc dicitur maxima similitudo, consistitque in representando prototypum, cuius similitudo dicitur ut anima rationalis, quia representat tribus potentis in una essentia indivisibili mysterium sanctissimæ Triados, in quo dantur tres personæ in una indivisibili essentia, ideo imago, aut similitudo dicitur. Alia similitudo datur, quæ talis dicitur, non quia representat, aut ex eo quod sit imago rei; sed quia est purus respectus, qui reperitur in ea, quæ habent similes qualitates essentias inter se convenientes, nullumque officium exercent, nisi unum referre ad aliud, seu reddere habentia qualitates in uno gradu ad invicem respicientia, & hæc similitudo, licet similitudo sit, reddatque simile, nihil aliud est nisi pura habitudo, & reddens pure respiciens id quod secum convenit, ex quo sequitur, quod talis similitudo sit in ordine ad purum terminum nihil faciendo circa illud, nisi respicere ad illudque pure referri, quod non habet cognitio; cum non sit huius secundi generis similitudo, nam cognitio est imago vitalis obiecti ad illud representandum instituta ratione, cuius non solum refertur intellectus ad obiectum, sed illud perfecte caller ac percipit cognoscendo quæ sit natura illius, quod maximum emolumentum, maximamque perfectionem secum adfert ad potentiam; unde non potest dici, quod eodem modo respicit cognitio obiectum, ac respicit relatio prædicamentalis, nec potest dici quod relatio prædicamentalis, quia physica similitudo est, habet minus de puro termino, quam cognitio, quia similitudo intentionalis; nam cognitio licet sit intentionalis non desinit esse physica perceptio, representatio, & vitalis imago obiecti intentionalis est, quia media illa intellectus intendit percipere obiectum physica, quia vere, & realiter est imago obiecti, representatque illud, quod non habet relatio prædicamentalis, cum solum respiciat terminum qui habet albedinem sicut fundamentum, unde relatio prædicamentalis terminum respicit, ut purum terminum, cognitio autem quod

R. P. N. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

modocumque sumatur, non respicit obiectum ut purum terminum, sed vires, in qua representatur, & percipitur per illam, & circa quam aliud munus præter respicere exercet.

Sed demus in hoc distinguere à relatione prædicamentali, saltem distinguitur, quia relatio est modus, & cognitio, aut adæquate, aut inadæquate, ut videbitur libris de anima.

Tertium discrimen quod reperitur inter has relationes est, quod relatio prædicamentalis sit quædam forma omnino extra essentiam rei quam immediate constituit, ac proinde accidentaliter advenit immediato fundamento, quia advenit illi realiter iam constituto in suo esse essentiali, & absoluto ad quod comparatur, ut completa forma in suo accidentali genere afficiens ipsum, & referens ad aliud, respectus vero transcendentalis à parte rei est de essentia illius rei, quam immediate constituit, vel adæquate, & simpliciter, vel inadæquate cum distinctione rationis includentis ab inclusio, ita ut non absolute comparatur, veluti completa forma ad illam rem, quam proxime actuat, ut eius essentia, sed comparatur, ut incompletum prædicatum, & consequenter non adæquate constituit rem in illo genere ad quam pertinet, eamque non proprie referat ad aliud per modum formæ physice constituentis, sed potius per modum metaphysicæ differentie, quæ essentialiter ordinatur ad aliud. Hoc totum discrimen patet discurrendo per vitæque relationes, nam homo potest existere sine paternitate, & albedo sine similitudine, & ratio est quia similitudo est modus accidentalis ex natura rei distinctus à termino, & fundamento, ortus ex coexistentia utriusque.

Dices, homo non potest existere sine relatione effectus ad Deum, sed quid contra nos. Nam licet hoc sit verum non colligitur esse de essentia rei, nam etiam homo non potest esse adhuc per potentiam Dei absolutam sine dependentia, & actione Dei terminata ad ipsam, & nihilominus dependentia est modus ex natura rei distinctus à tota entitate, & essentia hominis, quod ex eo oritur, non quia sit de essentia illius: sed quia homo est ens ab alio, & non potest existere, quin illius causa existat, relatio autem transcendentalis est de essentia rei, nam materia, & forma per suum conceptum quidditativum se respiciunt, & intellectus ex vi propriæ quidditatis respicit obiectum; ratio à priori est, quia transcendentalis dicitur, quia transcendit, vel penetrat totam entitatem, quæ in suo conceptu connotat aliquid à se distinctum, & licet hoc verum sit, nihilominus alicui rei potest esse accidentalis relatio transcendentalis, ut relatio transcendentalis intellectus est accidentalis respectu animæ, & respectu cognitionis intellectui, &c. sed hoc non est respectu rei, quam immediate constituit; sed respectu illius, cui mediate competit, nam respectus illi sunt de essentia intellectionis, & intellectus, quia talia subiecta non mediate, sed immediate constituunt, inde ortum habet, ut recte notat Hurtado relationes transcendentales per omnia prædicamenta vagare, imo ab aliquibus dicuntur transcendentales, non quia

LIIII 3 transcen

transcendunt rem; sed quia omnia prædicamenta percurrunt ad ea quæ pertinent, ea tamen prædicamenta communiter vocantur simpliciter absoluta, quia relativa simpliciter vocantur sola prædicamentalia, quapropter Divus Thomas *op. 48. tract. 5. cap. 1.* has relationes transcendentales vocat secundum dici, quia dicunt quasi primo per alterius prædicamenti, & quasi secundo habitudinem, sicut scientia ad obiectum, tamen illud genus relationis non proprie secundo competit rei cum sit essentialis; sed vocatur secundus, quia communiter non æque primo concipitur, ac res cuius est, v.g. ratio qualitatis in intellectu.

¹⁹ Quartum discrimen est, quod omnis relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem, ita ut nec per potentiam Dei absolutam possit dari actualis relatio prædicamentalis, sine actuali termino. Ratio huius sumenda est ex ijs quæ supra dicta sunt de esse relationis prædicamentalis, videlicet quod relatio consistit in puro respectu, & non sit per se intentæ; sed mere resultans, & naturæ huius sic explicata colligo illam ut sic non posse esse, nisi supponatur fundamenti, & termini coexistentia, unde actualitas, & existentia utriusque ex qua ipsa resultat, & qua ablata desinit, tum quia non habet in rerum natura relatio alium productionis modum, tum etiam quia ob hanc solam rationem potest dici relationem per accidens fieri à natura.

²⁰ Relatio vero transcendentalis est huiusmodi, ut licet aliqua necessario petat terminum actu existentem, ut videre est in visione, visione, actione productiva, &c. quæ non possunt dari sine terminorum existentia, nihilominus non omnis relatio transcendentalis petit hoc, ut videtur est in relatione potentia ad obiectum, & scientia ad scibile, &c. & ratio est, quia non est de essentia potentia v.g. visiva aut intellectiva, videre, & intelligere actualiter; sed posse videre, & posse intelligere; unde relatio transcendentalis illorum non petit terminum actualem; sed tantum possibilem, cum terminus relationis illarum potentiarum sit ipsum obiectum quod cognoscitur ab illis: atqui obiectum potentia non potest petere esse actuale: ergo nec terminus relationis transcendentalis talis potentia.



QVÆSTIO XI.

Quotuplex sit relatio prædicamentalis.

¹ **A**RT. 5. *met. cap. 15.* agens de prædicamento relationis illud in tria genera divisit ex triplici ratione fundandi.

² Primum genus est illarum relationum, quarum ratio fundandi est unitas, vel multitudo; sed hæc unitas non est propria unitas; sed potius est convenientia in aliqua ratione: clarius est esse hæc entitas, sicut alia in aliquo prædicato, sive accidentali, sive substantiali, vel ut alij explicant, est coexistentia duorum, ex quibus unum

habet aliquam rationem, sicut aliud habet illam, v.g. Petrus, & Paulus habent rationem fundandi relationem identitatis, quia conveniunt in essentia hominis, hoc est, ita Petrus est animal rationale, sicut Paulus, & ratione huius convenientia resultat in illis talis relatio similitudinis in essentia, quæ identitas dicitur multitudo autem, quæ est alia ratio fundandi relationem huius generis, quæ & diversitas solet dici, nihil aliud est quam disconvenientia in aliquo prædicato, v.g. equus disconvenit cum equo in essentia, quia equus non est animal rationale, sicut homo; sed potius est animal irrationale, in quo opponuntur, & maxime diversificantur, & ratione huius disconvenientia resultat inter illos relationes diversitatis, quibus ad invicem referuntur, itaque in hoc genere relationum dantur hæc duo subalterna genera, v.g. quæ diximus unitatis, & diversitatis, & hæc alias species ulterius dividuntur, nam Arist. ait in unitate fundari in æqualitatem, similitudinem, & identitatem, eadem sunt inquit, quorum substantia est una; ecce relationem identitatis innixam in convenientia essentiali; equalitatem, quorum quantitas est una, ecce relatio æqualitatis confurgens ex convenientia inter quantitates, similia quorum qualitas est una, ecce relationem similitudinis innixam convenientia quantitatibus, itaque inter duas qualitates conveniunt v.g. duæ albedines, resultat relatio similitudinis, & inter duas qualitates disconvenientes, ut inter albedinem, & nigredinem resultat relatio disconvenientia, & diversitatis inter alias qualitates eiusdem magnitudinis resultat relatio æqualitatis, & inter quantitatem maiorem, & minorem resultat relatio inæqualitatis; inter duas essentias convenientes resultat relatio identitatis, & opposita inter duas essentias non convenientes.

Adverte quod si detur propria unitas in fundamento proximo, v.g. si detur una numero albedo; si vero duo alba per potentiam absolutam, minime resultare posse propriam relationem similitudinis, & sic de cæteris quod probatur; nam ideo Divus Thomas ait non posse dari actionem similitudinis realem inter Divinas personas, quia datur una essentia numero in illis; sed inter duo subiecta datur una numero albedo; ergo non datur propria realis similitudo inter illa.

Secundum genus est cuius ratio fundandi est actio & passio, ut sunt omnes relationes causæ, & effectus, ut est filiatio, & paternitas, relatio creaturæ, &c. etiam huc reducuntur omnes relationes Magistri ad discipulum, & contra, servi ad Dominum, & Domini ad servum, mariti ad uxorem, superioris ad inferiorem, relatio autem effectus habet pro ratione fundandi passionem, relatio vero causæ actionem.

Tertium genus relationis, quod habet pro ratione fundandi mensurationem, & dependentiam, & quæ reperiuntur inter duas res, quarum una ab alia, tanquam ab obiecto specificante, v.g. videre est in potentia respectu obiecti, in scientia respectu scibilis, in hoc tertio genere assignat Arist. discrimen magnum, quod differt à cæteris, nimirum, quod in cæteris dantur alie quæ relationes mutæ, alie vero non mutæ; in hoc